

accepit dona seu ornamenta seu praerogatiuas, quae superant
omnium creaturarum dona.

Dic testimonia de reditu Christi ad iudicium
vniuersale.

Acto. I inquit angeli: „Hic Iesus, qui sursum receptus est a vobis in coe- 5
lum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum euntem in coelum.“¹⁴⁴ Et
Matth. 25 non solum aduentus Christi, sed etiam processus seu forma iudicij
copiose describitur.¹⁴⁵

Quae opera efficiet Christus, cum in fine mundi rediturus est?

Primum voce sua resuscitabit omnes homines, quotquot ab initio mundi mortui sunt, et ani- 10
mas ipsorum copulabit denuo cum resuscitatis corporibus. Eos vero, quos viuentes adhuc in
terra reperiet, in momento immutatos vna cum excitatis e morte in occursum sibi rapiet.¹⁴⁶
[75:] Deinde visibile et vniuersale iudicium exercebit, in quo bonos discernet a malis et pro-
nunciabit sententiam super pios et impios. Nam Pater omne iudicium dedit Filio, Ioh. 5.¹⁴⁷
Praeterea pios introducet in possessionem aeternae beatitudinis, quam in hac vita fide et spe 15
expectarunt. Simul etiam impios abijciet cum damnatis spiritibus in aeternos cruciatus, vbi
ignis eorum non extinguetur, vermis non morietur, opprobrium non desinet, Esa. vltimo.¹⁴⁸
Denique igne purgabit coelum et terram et nouam mundi formam efficiet, quae erit sancta et
munda habitatio omnium beatorum angelorum et hominum, 2. Pet. 3.¹⁴⁹

¹⁴⁴ Act 1,11.

¹⁴⁵ Vgl. Mt 25,31–46.

¹⁴⁶ Vgl. I Thess 4,17.

¹⁴⁷ Vgl. Joh 5,22.

¹⁴⁸ Vgl. Jes 66,24.

¹⁴⁹ Vgl. II Petr 3,12f.